+ 20


FORMA INSTITVENDI CONFRATERNITATEM SACRI SCAPVLARIS IN CONVENTIBVS CARMELITARVM, ET EXTRA EORVM ECCLESIAS.

Pelos Remedios
de Triana de Carme
Desc^dos



Cæſaraugustæ, Apud Ioannem à Lanaja & Quartanet, Regni Aragonum, & Vniuerſitatis Typ. Anno 1633.

Approbatio R. Adm. P. Dominici Langa Rectoris Collegij Cæsaraugustæ Societatis Iesu, à Calificationibus Sancti Officij.



X Commissione D. D. Ioannis à Berbegal Metropolitanæ Ecclesiæ Canonici, & Vicarij Generalis in Cæsaraugustani huius Archiepiscopatus interregno lustraui *Formam hanc instituendi Confraternitatem sacri Scapularis in Conuentibus Carmelitarum, & extra eorum Ecclesias*, authoritate Apostolica roboratam ; & typis ac luce dignam censeo, vt tam sanctæ Confraternitatis fragrantiora supra Aaronicum vnguentum fluant aromata, vt pote è Carmelo, in eiusq; ingentes delicias, & gazas suauissime trahantur, & accurrant Fideles. Fœlices tanta, si bona norint, & votis omnibus ambiant : quos scilicet Sanctissima Virgo sacro suo Scapulari inauguratos pariter, & loricatos Scapulis quoq; suis obunbrabit: vt & sub pennis ipsius sperent robur in prælijs, munimen in ictibus, certam in cladibus sanitatem, & promtum in pœnis leuamen. Tibi ergo ò sacra sodalitas effusum Virginis præsidium. Tibi pariter ò Carmele tam ambitiosum additum decus gratulor, & vtriq; maiora in dies ex animo incrementa voueo. In hoc Collegio Cæsaraug. Societatis Iesu, Nonis Aprilis. Anno M.DC.XXXIII.

Dominicus Langa Rector dicti Collegij, & Sacræ Fidei Censor apud Apostol. Inquisit.

Imprimatur.

D. Ioannes à Berbegal Vic. Geñ.

Censura Adm. R. P. Iacobi Pinto, Sacræ Scripturæ præstantissimi Cathedrarij in Collegio Cæsaraugustano Societatis Iesu, & Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris.



EX Cõmissione Excellentissimi Domini Dñ Ferdinandi de Borja Cõmendatoris Maioris Militaris Ordinis Illustrissimi de Montesa, a cubiculo & clavi aureâ Sacræ Maiestatis Philippi IV. Regis Hispaniarum, eiusq; vicem, & Locumtenentis, Proregis, & Capitanei Generalis in hoc Aragoniæ Regno &c. Vidi, & perlegi hanc *Formam instituendi Confraternitatem sacri Scapularis in Conuentibus Carmelitarum, & extra eorum Ecclesias*, authoritate Apostolica stabilitam, confirmatam, & illustratam; eamq; non solùm prælo, sed omni pretio dignam existimo; & spirituales Confraternitatis huius divitias, omni thesauro pretiosiores. Quas quidem & *lætor* apud Fideles vbiq; omnes satis notas, ac suoptè pretio, ac fructu commẽdatas; & præterea vellem commendatissimas; atq; adeò votis omnibus exopto, & propono lucrandas. Dat. Cæsaraugustæ in Collegio Societatis Iesu. Kalend. Aprilis. Anno M.DC.XXXIII.

Iacobus Pinto.

DON

DON Felipe por la gracia de Dios Rey de Castilla, de Aragon, de las dos Sicilias de Ierusalem, &c.

DON Fernando de Borja, Comendador mayor de Montesa, Gentilhombre de la Camara de su Magestad, y su Lugarteniente, y Capitan General en el presente Reyno de Aragon. Por quanto por parte del Padre Maestro Fray Valero Ximenez de Embun, de la Ordē de Nuestra Señora del Carmen, y Prouincial de dicha Orden en la Prouincia de Aragon, se nos ha referido que tiene para sacar a luz vn libro intitulado *Regla de las Religiosas de la bienauenturada madre de Dios siempre Virgen Maria del Monte Carmelo*, con *el quaderno que se intitula forma instituendi Confraternitatem sacri Scapularis in Conuentibus Carmelitarum, & extra eorum Ecclesias*, y suplicadonos, que para podello imprimir, le concedamos licencia, y auiendonos informado de la persona a quien cometimos su censura, que aquel esta trabajado con mucho estudio y cuydado, y que ha de ser de vtilidad y prouecho el comunicar las materias que en el refiere, y que no ay cosa contra la Fè, ni buenas costumbres, que le impida. Por tanto por tenor de las presentes, de nuestra cierta ciencia deliberadamente y consulto, damos, y concedemos licencia permisso, y facultad al dicho Padre Maestro Fray Valero Ximenez de Embun, y a quien su poder tuuiere, para que imprima y venda, y pueda hazer imprimir, y vender el dicho libro, y quaderno arriba intitulados en el presente Reyno, y qualquiera parte del, por tiempo de diez años contaderos de la data infrascripta. Con tal, y no de otra manera, que al principio de cada libro se ponga impressa la presente licencia despachada con el sello desta Real Cancelleria, prohibiendo como prohibimos, que ninguna otra persona lo pueda imprimir, ni vender, y si lo hiziere

re incurra en pena de perdimiento de los libros, y moldes con que se imprimieren, y en mil florines de oro de Aragon, exigideros y a los Reales Cofres aplicaderos, y juntamente mādamos a qualesquiera ministros, y personas otras sujetas a nuestra jurisdicion que lo sobredicho executen, cumplan, y guarden, executar, y cumplir hagan inuiolablemente, si en las sobredichas penas, y en la ira è indignacion de su Magestad, dessean no incurrir. Dat. En Çaragoça, a treze de Abril del año mil seyscientos treynta y tres.

Don Fernando de Borja.

V. Mendoza R.

Dn̄s Locumt. Generalis mandauit mihi Ioanni Ludouico de Auiego, vissa per Mendoza Regentem Cancellariam.

In diuers. Locumt. Generalis Arag. xiij. fol. clxxxviiij.

CON-

CONVENTIBVS CARMELITA-rum Prouinciæ Aragoniæ Eorum.

Prior Prouincialis,ſalutem in Dño.

CVM Commitia noſtra Prouincialia nouiſſime Valētiæ celebrata, die videlicet 11. Maij, anno 1631.decreuerint ſub his verbis. *Non ommittendum,vt Confraternitates B. Mariæ de Monte Carmeli,vbi rite erectæ, & inſtitutæ non ſunt, erigantur,& inſtituantur,ſicut Conſtitutiones Pontificiæ præſcribunt:* Operæpretium me facturum duxi, ſi canonicam formam inſtituendi prædictam Confraternitatem vobis præberem,præloq; committerem in communem Chriſti fidelium vtilitatem,& Prouinciæ noſtræ decorem. Quam rem,vt perficerem,certior à me factus de decreto Capituli Reuerendiſſimus Pater Vicarius Generalis Apoſtolicus(nunc Prior Generalis) Magiſter Theodorus Stratius, confeſtim reſcripſit, exhibens formam iſtam erigendi ſodalitatem ſacri Scapularis, quæ modo prodit in lucem, plena fide,& teſtimonio adeo conſtantis veritatis,vt in iudicio,& extra, credi his tranſumptis neceſſe ſit. Quibus (hoc eſt)

vni-

vni cuique instrumento, & Constitutioni Aposto-licæ isto libello comprehensis, pro ipsorum expeditiori dilucidatione, intelligentiave adiunxerim summaria, & notulas non nullas. Longiores forsitam, quam cito æditio altera reddditura. Accipite ergo huiusce munusculum, hanc opellam, quæ voluminis cum exilitate cumulatissimas gratiarum congerit gazas, concessionum multiplices recondit thesauros auro, argento, gemmis pretiosiores. Valete. Cæsaraugustæ, in domo nostra Dominæ nostræ de Carmine. Die 19. Martij, anno 1633.

F. Valerius Ximenez de Embun
Prouincialis, qui supra.



INSTRVMENTVM DESIGNATIONIS LOCI AD ISTAM CONFRATERNITATEM INSTITVENDAM.

VNA CVM FVNDATIONE IPSIVS.

In nomine Sanctißimæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.



AD Perpetuam rei memoriam nouerint vniuersi, & singuli præsens publicum transumpti Instrumentum visuri, lecturi, pariter & audituri. Quod ego publicus Apostolica vbique, Regia vero per totã Domini nostri Regis ditionem auctoritatibus Notarius: ad requisitionem admodum Reuerendi Domini Patris Magistri Fratris Valerij Ximenez de Embun Prioris Prouincialis Prouinciæ Aragoniæ, Ordinis B. & gloriosæ semper Virginis Mariæ de Monte Carmelo, & de commissione admodum perillustris Domini Doctoris Ioannis à Verbegal, Sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ Sedis Canonici, & in spiritualibus, & temporalibus Prouisoris, & Vicarij Generalis, præfatæ Ciuitatis, & eius Archiepiscopatus pro admodum perillustri dictæ Metropolitanæ Capitulo illius Archiepiscopali Sede vacante, per obitum bonæ mem. Illustris. ac Reuerẽdis. D.D. Martini Terrer prædicti Archiepiscopatus postremi Archiepiscopi vidi, legi, & diligenter inspexi, quædam Instrumenta publica Re-

uerend. Domini Patris Magistri Fratris Theodori Straty Generalis Vicarij Apostolici prædicti Ordinis Carmelitarum: vna cum insertione quarumdam litterarum Apostolicarum Summorum Pontificum Pauli Papæ V. & Clemẽtis VIII. ipsius R.P. Theodori Vicarij Generalis Apostolici manu, & nomine proprio subscripta, & per Secretarium dicti Ordinis referendata, sigilloq; etiam dicti Ordinis corroborata, ac munita. Quorum & quarum tenores de verbo ad verbum (præter summaria, & capita quædam, ac notas, quæ in vnoquoque Instrumento, ac Constitutione, siue Breui Apostolico, diuerso litterarum typo appossita sunt. Tum etiam & præter initialia verba: Fr. Valerius Ximenez de Embun, &c. & verba appossita in calce Prioris Instrumenti. Quæ incipiunt. Post modum Reuerendiss. &c.) sequuntur, & sunt tales videlicet.



FA-

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS, PRO DESIGNANDO LOCO ad erectionem Confraternitatis Dominę nostræ V. Mariæ de Carmine.

SVMMARIVM.

1 §. *Prouincialis Aragoniæ recipit hanc facultatem per litteras patentes Patris Generalis. Illas promulgat.*

2 §. *Pater Generalis credit hanc facultatem designandi locum pro fundanda Confraternitate prædicto Prouinciali.*

3 §. *Generalis narrat priuilegium sibi, & eius Vicario in absentia illius concessum per Sedem Apostolicam, fundandi istam sodalitatem.*

4 §. *Confraternitates aliquæ nõ rite institutæ, quod minime iuxta præscriptum Bullæ Clementis VIII erectæ fuerint.*

5 §. *Generalis denuo instituit (vbi necesse est) Confraternitatem, tam in Conuentibus nostris, quam in exteris Ecclesijs. Et in ijs, seruatis quibusdam conditionibus. Item erigit idem sodalitium in locis assignatis, & approbatis per Prouincialem prænominatum.*

6 §. *Cõmunicat Indulgentias, gratias spirituales, priuilegia, &c. vtriusq; sexus Confratibus, nominatim illa, quæ per Clementem VII. & Paulum V. concessa sunt ipsi Confraternitati.*

7 §. *Cum solum Pater Generalis potiatur priuilegio fundandi istam Confraternitatem, instituit illam in exteris Ecclesijs, præsertim in Ecclesijs aliorum Regularium, sub certa quada expressa conditione.*

8 §. *Potestatem tribuit prædicto Prouinciali conferendi facultatem benedicendi Scapulare Ordinis Præsbytero, etiam non Religioso nostro, & imponendi pariter idem benedictum Scapulare personis honestis, ac deuotis hanc sodalitatem ingredientibus.*

1 *Frater Valerius Ximenez de Embun Theologiæ Magister, Prior Prouincialis Prouinciæ Aragoniæ, Ordinis B. Mariæ V. de Monte Carmelo Regularis obseruantiæ. Cum R.mus P. M. Fr. Theodorus Stratius eiusdem instituti, Generalis Vicarius Apostolicus ad nos miserit infrascriptas litteras patentes tenoris sequentis.*



2 R. Theodorus Stratius Magister, ac humilis Generalis Vicarius Apostolicus Ordinis Carmelitarum. Dilecto nobis in Christo Admodum Reuerendo P. M. Valerio Ximenez de Embun nostræ Prouinciæ Aragoniæ professo, Sacerdoti, & Prouinciali, salutem in Domino, & in agendis Spiritus Sancti directionem.

3 Inter alia priuilegia, quibus nostra sacra Religio à Sancta Sede Apostolica decorata est; hoc etiam potitur potestate, scilicet instituendi vbique locorum, tam in nostris, quam in aliorum Ecclesijs Confraternitates Sæcularium nostrum Habitum, seu Scapulare gestantiũ sub inuocatione B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, per Patrem Ordinis Generalem, scilicet, vel eius Vicarium Generalem in ipsius absentia, prædictisque Confraternitatibus Indulgentias, & Gratias spirituales communicandi.

4 Cum itaq; nouerimus in aliquibus locis nostrarum Prouinciarum Hispaniæ, & Lusitaniæ aliquas huiusmodi Confraternitates desiderari institui, aliasque iam olim institutas esse, sed non secundum formam, & ritum præscriptum à Clemente VIII. fœlic. record. in Bulla *Quæcumque a Sede Apostolica* sub datis Romæ apud Sanctum Petrum, die 7. Decembris, anno 1604. quæ habetur in tertio tomo Bullarij, inter Bullas prædicti Pontificis, num. 115.

5 Volentes ad Christi fidelium deuotionem, in B. Virginem, eiusq; Religionem promouendam, quod prædictæ Confraternitates, vbi institui desiderantur ritè, & legitimè instituantur, & vbi primo non ritè, & legitimè erectæ sunt de nouo etiam ritè, & legitimè erigantur, & instituantur; Auctoritate nostra, & harum serie Confraternitates prædictas nostri Scapularis, sub inuocatione B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, in omnibus Ecclesijs, Capellis, seu Oratorijs, etiam extra nostram Religionem, intra ditionem tamen prædictæ

Prouin-

Prouinciæ Aragoniæ, à te designandis, & approbandis, siue in illis iam pridem erectæ fuerint, sed non legitime prædictæ Confraternitates, siue de nouo institui desiderentur: Tuque expediens iudicaberis illas institui, illas ex nunc, pro tunc, instituimus, erigimus, & de nouo fundamus, dummodo tamen in prædictarum Confraternitatum institutione, erectione, seu innouatione, perfecte, & ad vnguem seruentur omnes conditiones assignatæ, & requisitæ a prædicto Clemente VIII. in Bulla, seu Constitutione supradicta; & præsertim dũmodo alia, vel aliæ similes Confraternitates in eodem loco, vel in alio ad tria miliaria Italica propinquo hactenus erecta, vel erectę nõ fuerint; habeaturque consensus Ordinarij loci, & cum literis testimonialibus, quibus Confraternitatis, seu Confraternitatum erigendæ, seu erigendarum pietas, & Christianę charitatis officia, quæ in illa, vel illis exercenda sunt, commendentur.

6 Illisque Confraternitatibus, & earum pro tempore existentibus, vtriusque sexus Confratribus prout possumus elargimur, & communicamus omnes Ingulgentias, Gratias spirituales, & Priuilegia Confraternitatibus nostris, a Summis Pontificibus cõcessas, & concessa, & nominatim, ac explicitè, Priuilegia eisdem concessa per Clementem VII. in Bulla quæ incipit: *Ex Clementi.* quæ habetur in primo tomo Bullarij, inter Bullas huius Pontificis, num. 31. & fuit data Romæ apud Sanctum Petrum, pridie idus Augusti, anno 1530. & Indulgentias illis concessas per duo Breuia Pauli Papæ V. fœl. record. quorum tenor, de verbo ad verbum, quoties contigerit aliqua creatio, & institutio Confraternitatis fieri, exprimendus erit.

7 Volumus autem, vt si futuris temporibus Religio nostra in locis à te, vt supra designandis pro erectione, vel innouatione nouæ Confraternitatis Conuentum acquisierit, tunc cesset erectio, & innouatio, & ipsa Confraternitas, seu Confraternitates, cum omnibus eius bonis mobilibus, seu se mouentibus, & immobilibus ad dictum nostrum Conuentum nouiter acquisitum transferantur, & translata ipso facto absque vlla contradictione censeantur.

8 Poteris vero in locis à Te, vt præfertur nominãdis, & designandis facultatem benedicendi, & imponendi nostrum Scapulare paruum, alicui Sacerdoti, etiam non Religioso nostro concedere, quoties tibi videbitur expedire.

Horum fide. Datum Romæ die 9. Nouemb. 1632. Fr. Theodorus Stratius Generalis Vicarius Apostolicus Carmelitarum. Fr. Ioannes Baptista Cerutus Secretarius Ordinis.

Locus † sigilli.

Bullam

1 *Bullam Clementis VII. memorata num. 6. habes integram, & authenticam apud Emanuelem Rodericum, in volumine nuncupato; Collectio, & compilatio Priuilegiorum Apostolicorum Mendicantium, & non Mendicantium, fol. 784. excusso Salmanticæ anno 1605. sub Prælo Didaci à Cussio, illam inscribit pro Confratribus Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo.*

2 *Eandem etiam authenticam reperies inter Priuilegia nostri Ordinis, a Carmelitis Discalceatis in lucē ædita anno 1624. fol. 295. sub isto titulo, Pro Confratribus, cuius Bullæ summarium fol. 294. hanc sortitur inscriptionem. Communicatio plurium Priuilegiorum pro Confratribus.*

3 *Ad hæc Laertius Cherubinus in Bullario tom. 1. num. 31. fol. 599. eam sic intitulat. Approbatio gratiarum, & Priuilegiorum Fratrum, ac Monialium B. Mariæ de Monte Carmelo, & concessio quorumcumq; aliorum Indultorum omnibus alijs Ordinibus concessorum, & concedendorum, & Indulgentiarum elargitio pro Confratribus vtriusq; sexus Confraternitatū, institutarum in loco dicti Ordinis. Eiusdem Bullæ Compendium habes in Flauio Cherubino, tom. 1. Compendij præallegati Bullarij.*

4 *Numero 5. innuitur Concordia inter Nos, & Patres Nonmitigatos super erectione Confraternitatum B. Mariæ Virginis de Carmine, & concessione Sacri Scapularis. Quæ modo (dum alter hac de re diffusior molitur tractatus) videnda in libro superius nominato nostrorum Priuilegiorum, ad Bullam 9. Pauli V. fol. 274. & 279. & in Constitutionibus nostris generalibus parte 4. cap. 28. num. 4.*

Postmodum Reuerendißimus P. M. Generalis Apostolicus (nunc Prior Generalis) prædictis patentibus subijcit formam erigendi, fundandiue præfatas Confraternitates G. semper Virginis Mariæ de Monte Carmelo, tenoris subsequentis.

FORMA INSTITVENDI CONFRATERNITATES ORDINIS CARmelitarum in ditione Prouintiæ Aragoniæ.

SVMMARIVM.

1 §. *Pater Generalis refert Priuilegium a Sede Apostolica sibi elargitum fundandi istam Sacram Sodalitatem.*

Comme-

2 § *Commemorat facultatem desuper impartitam Prouinciali Aragoniæ, designandi locum pro erigenda Confraternitate.*

3 § *Comunicat, & elargitur Confratribus, & Consororibus Priuilegia, gratias spirituales, &c. a Rom. Pontificibus concessa eidem Confraternitati.*

4 § *Memorat Priuilegium Clementis VII. recipiendi scilicet, & administrandi quocumq; tempore Eucharistiam, & alia Sacramenta.*

5 § *Tempore interdicti concessum Confratribus nostris ab humanis si discedant, eorum tradi corpora Ecclesiasticæ sepulturæ, &c.*

6 § *Idem Generalis elargitur Confratribus indulgentias, & gratias contentas duobus in Breuibus Pauli V.*

1 FR. Theodorus Stratius, Sacræ Theologiæ Magister, ac humilis Generalis Vicarius Apostolicus Carmelitarum, Dilecto nobis in Christo Admodum R. P. Magistro Valerio Ximenez de Embun, nostræ Prouinciæ Aragoniæ Sacerdoti professo, ac Prouinciali, &c. Religio nostra, cum inter alia Priuilegia, quibus a Sancta Sede Apostolica decorata est, facultatem habeat sæcularium Confraternitates, sub inuocatione B. Mariæ Virginis de Carmine nuncupatæ erigendi, eisq; spirituales gratias, priuilegia, & indulgentias communicandi in huiusmodi Confraternitatibus instituendis, si ad Christi fidelium salutem promouendam expedire animaduertit, liberalem se præbere consueuit.

2 Nos igitur, qui generalem totius Ordinis curam gerimus, sperantes fore, vt ex hac spiritualium gratiarum participatione Christi fideles ad deuotionem, & pietatem magis excitentur; auctoritate nobis a Summis Pontificibus concessa Confraternitates B. Mariæ Virginis de Carmine in Ecclesijs, Capellis, aut Oratorijs a te designandis per totam ditionem Prouinciæ prædictæ Aragoniæ, iuxta conditiones a nobis asignatas in literis nostris patentibus ad te misisis, sub datis Romæ, die 9. Nouembris 1632.

3 Et præsertim de consensu loci ordinarij, qui eiusmodi Confraternitatis institutum, pietatem, ac Religionem literis suis patentibus commendauerit (dummodo tamen aliæ similes in ipsis, vel alijs ad tria milliaria propinquis locis hactenus erectæ non fuerint) per præsentes nostras literas ex nunc pro tunc erigimus, instituimus; & si primo non legitime institutæ sunt, innouamus, & de nouo fundamus.

4 Illisque, & pro tempore existentibus vtriusq; sexus Confratribus elar-

elargimur, & communicamus illa priuilegia, gratias spirituales, & indulgentias, a Romanis Pontificibus nostris Confraternitatibus, & Confratribus concessa, quæ nunquam reuocata fuerunt.

5 Et prout talia videlicet Priuilegium Clementis VII. in Bulla quæ incipit: Ex Clementi, sub datis Romæ apud Sanctum Petrum, pridie idus Augusti, anno 1530. thenoris sequentis: Ac quocumq; tempore Euchari**stiam, & alia Sacramenta Ecclesiastica a quocumq; maluerint Presbytero idoneo, & vbicumq; sine Rectoris Parrochialis Ecclesiæ præiudicio recipere, & administrare libere, & licite valeant.

6 Et si contingat eos, vel eorum aliquem tempore interdicti ab humanis decedere, corpora eorum Ecclesiasticæ, cum aliquali (honesta tamen) funerali pompa tradi possint sepulturæ.

7 Insuper prædictis Confratribus elargimur, & communicamus Indulgentias, & gratias spirituales inferius descriptas nominatim, & expresse per duo Breuia fœl. record. Pauli Papæ V. quorum primum est thenoris sequentis.

PRIMVM BREVE PAVLI V.
Pro Confratribus.

SVMMARIVM.

1 § *Hic Pontifex reuocat Indulgentias concessas Confratribus per alios Rom. Pontifices.*

2 § *Denuo concedit perplures gratias, & Indulgentias ipsis vtriusq; sexus Confratribus.*

3 § *Die primo eorum ingressus, Indulgentiam plenariam.*

4 § *In festo commemorationis solemnis semper Virginis Mariæ de Monte Carmeli. Plenariam.*

5 § *In articulo mortis. Plenariam.*

6 § *Assistentibus Processioni Habitus, quæ fit in vna ex Dominicis cuiuslibet mensis. Plenariam.*

7 §. *Abstinentibus à carnibus diebus, quibus Confratres vesci non assolent. Trecentum dies de iniunctis pœnitentiis.*

8 §. *Recitantibus septies orationem Dominicam, septies etiam salutationem Angelicam. Quadraginta dies.*

9 §. *Gestantibus Habitum Confraternitatis, & semel in mense Eucharistiā sumētibus, & orātibus, &c. Quinq; annos, & quinq; quadragenas.*

Con-

10 § *Confratribus, & consororibus in quolibet festo B. Mariæ Virginis Eucharistiam suscientibus in Ecclesia, vel Capella dictæ sodalitatis, Tres annos, & tres quadragenas.*

11. § *Commitantibus Santissimum Sacramentum, cum ad infirmos defertur. Quinque annos, & totidem quadragenas.*

12 § *Sequentibus corpora defunctorũ, ad eorum, vsq; sepulturã. Centum dies.*

13 § *Recitantibus Officium paruum B. Virginis. Centum dies.*

14 § *Interessentibus mißis, & alijs diuinis Officijs in Ecclesia huius sodalitatis, siue congregationibus publicis, vel priuatis eiusdem sodalitatis. Centum dies.*

15 § *Excipientibus pauperes hospitio. Centum dies.*

16 §. *Si illis auxilientur, tum in necessitatibus, tum in periculo peccandi, ne peccata suscipiant. Centum dies.*

17 § *Si eleemosinas eis dederint, Centum dies.*

18. § *Qui pacem cum inimicis cõposuerint, id ve procurauerint. Centũ dies.*

19 § *Qui deuium, & ignarum ad viam salutis, Deique præcepta reduxerint. Centum dies.*

20 § *Qui aliud quoque pietatis opus exercuerit. Centum dies.*

21 § *Concedit hic Pontifex Priori Generali, & in eius absentia eius Vicario Generali facultatem fundandi Confraternitatem.*

22 § *Tribuit pariter eidem Generali facultatem communicandi, ac elargiendi Confratribus Indulgentias, & Gratias, &c.*

23 § *Clausulæ derogotoriæ.*

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

1 CVM certas vnicuiq; Confraternitates, indulgentias, & gratias spirituales, quibus de cœtero fruantur duxerimus prescribendas, id circo Nos omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remißiones, ac pœnitentiarum relaxationes Confraternitati B. Mariæ de Monte Carmelo, in quibuscumq; Ciuitatibus, & Locis Canonice institutæ, & illius Confratribus, & consõroribus hactenus per quoscumq; Romanos Pontifices prædecessores nostros concessas reuocantes, ac nullius roboris & momenti esse declarantes:

2 De Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vtriusq; sexus Christi fidelibus, qui dictam Cõfraternitatem vbiuis locorum, tam hactenus

canonice(vt præfertur) institutam, quam deinceps vt infra instituendam de cœtero ingredientur, & habitum receperint.

3 Die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam.

4 Ac tam ipsis pro tempore describendis, quam iam descriptis in dicta Confraternitate Confratribus, & consororibus, etiam vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Comunione refectis, qui in festo principali commemorationis eiusdem B. Mariæ, die 16. Mensis Iulij, aut iuxta ritum nonnullorum locorum, die Dominica immediate sequenti celebrari solito, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam.

5 In mortis quoq; articulo eisdem vtriusq; sexus Confratribus, qui pœnitentes, & confessi, ac Sanctissima Communione refecti, nomen IESV, ore si potuerint, sin autem corde deuote inuocauerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

6 Necnon ipsis Confratribus, & consororibus, qui similiter pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti Processioni in vna Dominica cuiuslibet Mensis per dictam Confraternitatem, de Ordinarij loci licentia faciendæ, deuote interfuerint, & ibi (vt præfertur) orauerint, septem annos, & totidem quadragenas.

7 Ipsis vero, qui ab esu carnis his diebus, quibus Confratres dictæ Confraternitatis ex illius instituto vesci non solent, abstinebunt, trecentum dies.

8 Qui autem qualibet die septies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam, ad honorem septem gaudiorum eiusdem B Mariæ Virginis recitauerint, quadraginta dies.

9 Necnon etiam qui cum Habitu eiusdem Confraternitatis pœnitentes, & confessi semel in Mense Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & vt præfertur orauerint, quinq; annos, & totidem quadragenas.

10 Ijs vero Confratribus, & consororibus, qui pœnitentes, & confessi, in qualibet ex festiuitatibus eiusdem B Mariæ Virginis dictum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia, vel Capella dictæ Confraternitatis deuote sumpserint, & vt supradictum est orauerint, tres annos, & totidem quadragenas.

11 Qui autem cum lumine dictum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramen-

mentum, quando ad infirmos defertur commitati fuerint, & pro eisdem infirmis pias ad Deum preces effuderint, quinq; annos, & totidem quadragenas.

12 Qui vero corpora defunctorum, tam Confratrum, & consororum, quam aliorum, ad sepulturam associauerint, & pro eorum animabus ad Deum orauerint, centum dies.

13 Quoties vero prædicti Confratres, & consorores Officium eiusdem B. Mariæ Virginis deuote recitauerint, centum dies.

14 Qui vero Missis, & alijs diuinis Officijs in Ecclesia, vel Capella, aut Oratorio dictæ Confraternitatis pro tempore celebrandis, & recitandis, siue congregationibus publicis, vel priuatis eiusdem Confraternitatis vbiuis faciendis interfuerint.

15 Aut pauperes hospitio susceperint.

16 Aut eis in eorum necessitatibus, vel in periculo peccandi existentibus auxiliati fuerint.

17 Aut eleemosinas temporales, vel spirituales eis dederint.

18 Vel pacem cum inimicis proprijs, vel alienis composuerint, seu componi fecerint, vel procurauerint.

19 Aut deuium aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes Dei præcepta, & ea, quæ ad salutem sunt docuerint.

20 Aut quodcumq; aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum piorum operum, centũ dies, de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

21 Ac Dilecto Filio, nunc, & pro tempore existenti Priori Generali dicti Ordinis Carmelitarum, vel illo absente eius Vicario generali, vt huiusmodi Confraternitatem B. Mariæ de Monte Carmelo vbiuis locorum extra vrbem erigere, & instituere.

22 Illisq; omnes supradictas indulgentias, & gratias spirituales (seruata tamen forma præscripta in cõstitutione fœli. record. Clementis prædecessoris super dictarum Confraternitatum aggregationibus, & institutionibus edita) communicare similiter libere, & licite possit, & valeat auctoritate Apostolica tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur.

23 Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscumq; præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 30. Octobris, anno 1606. Pontificatus nostri anno secundo.

1 *De priuilegio, & facultate instituendi istam sanctam Sodalitatem nominatim concesso Priori Generali nostro, & eius Vicario in sui absentia pro tempore existenti scribunt Constitutiones Generales Ordinis Romæ editæ, sub Reuerendiss. P. M. Gregorio Canali, anno 1625. parte 4. cap. 28. cuius titulus iste. Quis habeat facultatem instituendi nostram Confraternitatem Scapularis. Quæ forma seruanda in illius erectione, & receptione Confratrum. Quæ ve eorum obligationes. Vbi §. vel numerus 1. habet ex indulto Pauli V. solum Priorem Generalem, & eo absente Vicarium illius posse vbique terrarum extra vrbem Confraternitatem instituere seruata forma, præscripta a Clemente VIII.*

2 *Et nu. 2. ostenduntur conditiones prauiæ, & quæ sint necessariæ, vt isthæc Sodalitas erigi queat in tali, vel tali loco, constetque rite erecta.*

3 *Et num. 3. aduertuntur conditiones, sub quibus in exteris Ecclesijs præsertim regularium sodalitas ista institui debeat, ne tantum priuilegium nostræ Religioni concessum aliquando in illius vergat detrimentum, & damnum.*

4 *Et num. 4. proponitur pactum inter Nos, & Discalceatos Nostros auctoritate Pauli V. intercedente in concedendo petentibus Sacrum Scapulare, & quoad Processionem, quæ fit a Confraternitate semel in Mense, & in die solemnis commemorationis B. Virginis.*

5 *Et num. 5. præscribitur obligatio Confratrum gaudere cupientium priuilegio Bullæ Sabbatinæ.*

6 *Et num. 6. docetur forma seruanda in recipiendis fidelibus ad hanc Confraternitatem. Hæc laconice præstricta, in altero tractatu latius, & singulatim pro Confratribus, & consororibus vestem istam cælestem gestantibus.*

7 *Meminit huius Breuis Paulini liber præmemoratus priuilegiorum Carmelitarum studio nostrorum Discalceatorum authentice editus fol. 343. At eius subreptum initium, sublatum exordium.*

8 *Postremo apparet idem Breue excussum Romæ in Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ anno 1606. superiorum permissu, in corpore scilicet quarundam literarum totam hanc quasi seriem præsentis erectionis Confraternitatis Instrumenti authentice complectentie, sub Reuerendiss. P. M. Basilio Augussola, tunc Procuratore, & Vicario generali, qui auctoritate, qua fungebatur Apostolica communicandi Confratribus, & consororibus Carmelitanis spirituales gratias, & concessiones eidem sodalitati a Sede Apostolica elargitas, ac facultate pariter, qua potiebatur erigendi nouas Confraternitates B. Mariæ Virginis de Carmine in quauis Orbis parte, vtroque fine excitatus misit ad Hispaniarum Prouincias plures literas patentes authenticas,*

ticas, quarum aliquas perspexi acceptatas, & subscriptas per Illustrissimos dominos Ordinarios Cæsaraugustanum, 3. Aprilis 1607. & Barchinonensem 26. etiam Aprilis 1608. mandatasq; publicari, & earum priuilegijs, concessionibus, gratijs, &c. libere gaudere, frui eos, ad quos expectat, &c.

9 Obseruandum non vno, vel altero, sed multiplici nomine insigniri hoc Sanctum Sodalitium; primo appellatur: Confraternitas B. Mariæ de Carmine. Ita Clemens VIII. in Bulla. De salute Dominici gregis. Dat. Romæ 27. Iunij 1595. Pontificat. anno 4. & in Bulla. Pastoris æterni, vocat idem Pontifex, Confraternitatem de Sancta Maria de Carmine. Dat. Romæ 18. Augusti 1597. Pontificat. anno 6.

10 Secundo nominatur, Confraternitas, siue Sodalitas B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo. Sic Paulus V. in Bulla. Piorum hominum Confraternitates. Dat. Romæ 31. Augusti, Pontif. anno 4. Sic idem Pontifex in decreto super publicatione, prædicatione, & vsu libero, ac licito priuilegij Sabbatini, vulgo Bullæ Sabbatinæ, quod incipit, Patribus Carmelitanis permittatur prædicare, &c. Vide Leonem a Sancto Ioanne Carmelitanum Rhedonensem opere inscripto, Typus, seu pictura vestis Religiosæ, sectione 9. de Habitu, seu Scapulari, fol. 80. vsq; 95. vbi refert Bullam Pauli, datam Romæ die 11. Feb. anno 1613. & quamplura Sanctũ Scapulare conducentia, haud contemnenda. Vide etiam Emanuelem Valle de Moura libro de incantationibus, seu ensalmis, tractatu de Bulla Sabbatina, sect. 1. & 2. Emanuelem Roman Elucidationum variarum supra antiquitatem Religionis Carmeli, in vita Sancti Simonis Stoch. Ioannem Pinto a Victoria, in Hierarchia Carmelitana, parte 1. tract. 5. cap 4 & 5. Hi nonnulla memorant scitu digna de dignitate Scapularis præfatæ Confraternitatis.

11 Tertio nuncupatur Confraternitas Habitus. Ita nouissimæ Constitutiones nostræ generales, par. 4. cap. 28. num. 1.

12 Quarto vocatur Confraternitas, seu sodalitas Scapularis. Sic allegatæ Constitutiones ead. parte, & cap. num. 6. Quæ vsurpatio concordat cum proxima tertia, nempe Habitus. Forte eo condecorata Nomine, quod Confrater, Consororque huius sodalitatis queant minime cõcipi ni gestãtes Habitum paruum, siue Scapulare. Quo intuitu Pontifices Romani ferme semper suscipientibus, ac vestientibus Habitum, & Scapulare B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo elargiuntur indulgentias, &c. prædictæ Sodalitatis. Sic Clemens 7. in Bulla ex Clementi. paulo post citanda; ita Gregorius 13. in Bulla, vt laudes Gloriosissimæ Virginis Mariæ. Dat. Romæ sub die 18 Septemb. 1577. Pontif. anno 6. Constat authentice Bulla Gregoriana apud codicem pluries præallegatum nostri Ordinis fol. 326. Eam habes in Hierarchia Carmelitana, loco superius indicato.

13 *Deinde causa huiusce appellationis* Habitus, & Scapularis, *videtur reddere locus proxime adductus ex Constitutionibus, quia Confratres participes, vt fiant priuilegiorum, gratiarum spiritualium, quæ communicantur isti Sodalitati, tenentur deferre ipsum* Scapulare. *Præterea quod* Insigne *nostræ Confraternitatis quis ambigit esse vestem Sacri* Scapularis? *Imo totius Religionis Carmelitanæ supellectilibus supellectilem digniorem, atque prætiosiorem? In quo post transitum Confratrum patrocinij Virginei præcipue die Sabbati nobis pignus datur.*

14 *Idem Astipulantur lectiones Breuiarij nostri, quæ leguntur ad matutinum in Commemoratione solemni B. Virginis 16. Iulij. Sic, nec vero Nomenclaturam tantum munificentissima Virgo tribuit, & tutelam, verum, & Insigne Sacri* Scapularis, *quod B. Simoni Anglico præbuit, vt cœlesti hac veste Ordo ille Sacer dignosceretur, & a malis ingruentibus protegeretur.*

15 *Quinto appellatur* Societas Scapularis. *Ita lectio sexta prædicti Matutini. Sic. Non in hoc tantum sæculo Ordinem sibi tam acceptum multis prærrogatiuis Beatissima Virgo insigniuit, verum, & in alio (cum vbiq; & potentia, & misericordia plurimum valeat) filios in* Scapularis *Societatem relatos; qui abstinentiam modicam, precesq; paucas eis præscriptas frequentarunt, ac pro sui status ratione castitatem coluerunt, materno sane affectu, dum igne Purgatorio expiantur solari, ac in cœlestem patriam obtentu suo quamocius pie creditur efferre. Hæc lectio sexta.*

16 *Consequenter Notandum* Scapulare *istius Confraternitatis appellari* Scapulare B. Virginis, *tum quoniam ipsa illud præbuit B. Simoni Priori generali; tum quia ipsa gloriosa Virgo vsurpauit pro re maxime propria vestem Scapularis, cum apparuit eidem Simoni, ac sic affata; Dilectissime Fili hoc recipe tui Ordinis Scapulare, meæ Confraternitatis signum, Tibi, & cunctis Carmelitis priuilegium, &c. Consulendi Ioannes de Carthagena tom 2. de Arcanis Deiparæ lib. 17. hom. 2. obiectione vltima, & hom 3. eo a Sancto Ioanne lib. & sectione desuper citatis, num. 10. Thomas a Iesu, de antiquitate Ordinis Carmelit. lib. 2. cap. 1. Benedictus Gononi Burgensis Monachus Cælestinus Lugdunensis, Vitæ, & Sentētiæ Patrū Occidentis, in vita Sancti Simonis Stoch, fol. 233.*

17 *Sexto nominatur* Confratria Ordinis Carmelitarum. *Ita Sixtus 4. in Bulla. Dum attenta meditatione. Dat. Romæ 1470. septimo Kalendas Aprilis, apud Emanuelem Rodericum in collectione Bullarum Salmanticæ, tom. 2 fol. 486. Verum hoc nomen minime secernitur a primario istius Confraternitatis, videlicet B. Mariæ semper Virginis a Monte Carmelo, cum Carmelitarum institutum a primeuis suis incunabulis ea præstantissima Mariana, siue Deiparæ decoratum fuerit nomenclatura. Vide Flauium Cherubinum*

binum in Compendio Bullarij, ad Bullam 5. Innocentij 4. scolio 2. & Carthagenam, tomo proxime memorato homil. 3.

18 *Septimo, & vltimo dicitur* Confraternitas de Monte Carmelo. *Sic Clemens 7. in Bulla ex Clementi. Dat. Romæ 1530. pridie idus Augusti, Pontificat anno 7 apud Rodericum in Bullario tom. 2. fol. 785. & qq. reg. tom. 2. q. 96. art. 7.*

19 *Scias expedit lectionum quintæ & sextæ historiam super appellatione nostri Ordinis, videlicet,* Fratres Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, & præconijs sacri Scapularis, *partim adductarum supra num. 14. & 15. reperiri summatim integram, veram, ac indubiam in quinterno seu libello, intitulato,* Officia propria Sanctorum, & aliarum festiuitatum Ordinis Carmelitarum pro Fratribus Discalceatis eiusdem Ordinis a sacra Rituum Congregatione approbata. *Ædito Romæ, ex Typographia Cameræ Apostolicę, anno 1629 Reperiri inquam inter festa mensis Iulij die 16. sub isto titulo:* Commemoratio solẽnis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo. *Ad calcem igitur huius libelli affixum, & repositum est decretum maxime necessarium in re adeo grauissima; cuius exordium huiusmodi:* Officia suprascripta Sanctorum Ordinis Carmelitarum, &c. *vti cernere licet. Conspiciuntur ergo in eo quinterno eæ Ordinis nostri festiuitates (hoc est, historiæ, lectiones, orationes, & reliqua Officium diuinum aptantia) reuisæ, ac recognitæ ab Eminentissimo, & Reuerend. Cardinali Bellarmino, de mandato ipsius Sac. Congregationis, sub die 20. Iunij 1609. Post ab Eminentissimo & Reuerendissimo Cardinale de* T*orres. Recognitæ, & subscriptæ, eadem sacra Rituum Congregatio decreuit,* vt Officia suprascripta, &c. *recitarentur ab vniuerso Carmelitarum Ordine libere, & licite, ac insuper pro ampliori commoditate illa imprimendi licentiam, & facultatem dedit, & concessit die 12 Iunij 1628. Cui decreto subscripsit. Cos. Cardinalis de Torres. F. Fuluius Benig Secr. Locus † sigilli.*

20 *Quibus omnibus, & singulis præmissis bene consideratis, & trutinatis nullus relictus ambigendi, aut hæsitandi videtur lo-*

cus

cus de veritate, prætio, virtute, deuotione sacri Scapularis, de speciali Virginis tutela, ac patrocinio post eius Confratrum, & Consororum obitum præcipue die Sabbati. Quamuis tantum & singulare hoc priuilegium quidam Auctores olim lacerare immerito aussi fuerint. De ista Virginis Mariæ solemnitate satis luculenter agit Pater Ioannes a Cartagena Minorita iam citatus, nu. 10. per totum librũ 17. de percelebri festo Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, per quatuor Homilias, & nihil non tangit eorum, quę his notis cinximus.

Secundum autem (*Breue Pauli V.*) est tenoris sequentis.

ALTERVM BREVE,

Pro eisdem Confratribus.

SVMMARIVM.

1 §. *Refert Summus Pontifex celebrem Processionem in vna ex Dominicis cuiuslibet mensis fieri solitam in Ecclesijs B. Mariæ de Carmine.*

2 §. *Largitur Confratribus, & Consororibus interessentibus nominatis Processionibus, Indulgentiam plenariam.*

3 §. *Reuocat nouas alias Indulgentias.*

4 §. *Extendit concessiones Indulgentiarum factas ad cæteras Confraternitates sub eadem inuocatione B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo in posterum erigendas.*

5 §. *Transumptis credi iubet.*

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

1 ALIAS volentes nos Confraternitates Canonice institutas, sub inuocatione B Mariæ Virgiuis de Monte Carmelo in quacumque mundi parte existentes; ac dilectos filios illarum Confratres, &

Conso-

Consorores, qui sicut tunc accepimus in vna ex Dominicis cuiusli-
bet mensis pro cuiuslibet loci instituto Christi fidelium frequentia
celebrem, ac solemnem Processionem in eorum Ecclesijs, Capellis,
vel Oratorijs, ad Virginis eiusdem commemorationem pie perage-
re solebant, speciali aliquo munere decorare.

2 Omnibus Confratribus, & Consororibus dictarum Confraterni-
tatum verè pœnitētibus, & confessis, ac sacra communione refectis,
qui prædictæ Processioni vna ex Dominicis cuiuslibet mensis in qua
libet ex prædictis Ecclesijs, Capellis, seu Oratorijs peragendæ inter-
fuissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, Hæresum
extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum
præces effudissent, qualibet vice id peregissent, plenariam omnium
peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer
in Domino concessimus.

3 Volumus tamen, quod si alias dictis Confratribus, & Consorori-
bus dictæ Processioni interessentibus aliquas alias Indulgentias, per-
petuo, vel ad tempus nondum elapsum duraturas cōcessissemus, illæ
nullæ sint, & alias prout in alijs nostris in simili forma Breuis, sub
die 3. Augusti 1609. desuper expeditis literis, quarum tenores præ-
sentibus pro expressis haberi volumus, plenius continentur.

4 Nunc autem Confraternitates sub inuocatione eiusdem B. Ma-
riæ Virginis de Monte Carmelo in quacumque mundi parte de cæ-
tero Canonice, vt præfertur, erigendas spiritualium similiter gratia-
rum muneribus insignire volētes, quo exinde Christi fideles in dies
magis ad eiusdem Sanctissimæ Virginis cultum, & venerationem
per amplius inuitentur, supplicationibus etiam dilecti filij Theodo-
ri Fratrum Ordinis Carmelitarum Procuratoris Generalis Nobis
humiliter porrectis inclinati, Indulgentiæ concessionem, & literas
prædictas ad Confraternitates huiusmodi in posterum perpetuis fu-
turis temporibus, vt præfertur, erigendas auctoritate prædicta exten-
dimus. Non obstante Regula nostra de concedendis Indulgentijs ad
instar; cæterisque contrarijs quibuscumque.

5 Volumus autem, quod earundem præsentium transumptis, etiam
impressis manu Notarij publici, vel Secretarij Ordinis Carmelita-
rum huiusmodi subscriptis, & sigillo eiusdem Ordinis, seu alicuius
personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prors-
sus fides vbique gentium adhibeatur, quæ præsentibus adhiberētur,
si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annullo Pis-

 catoris

catoris, die 19. Iulij 1614. Pontificatus nostri anno decimo.

1 *De isto secundo Breui Pauli, sub datum Romæ, anno 1614. die 19. Iulij, & altero 3. Augusti 1909. ab ipso Pontifice expedito, & elargito dictæ Confraternitati mentionem facit volumen Priuilegiorum Ordinis, fol. 280. n. 3. ad titulum, Instrumentũ publicum præinsertæ Concordiæ, scilicet, inter Nos, & fratres nostros Discalceatos, super erectione Confraternitatum B. Mariæ Virginis, concessione sacri Scapularis, & Processionibus Habitus faciẽdis, &c. fol 274. vt qui sumus sub vna Beatissimæ Virginis tutela militantes, vno Carmelitarum Titulo nuncupati, vno Eliæ ex Fonte bibentes, vno priuilegiorum, gratiarum, concessionum cumulo fruentes, ad vnam Religionem vocati, curemus mutuam nutrire charitatem, nutritam vbique fouere vllius absque offensione. Vbi præmisso, num. 3. Paulus concedit Indulgentiam plenariam perpetuam Confratribus, & Consororibus nostris assistentibus Processionibus, tam præcipuæ mensis Iulij, die 16. ad Sanctissimæ Virginis Festum commemorationis solemnis, quam alijs fieri solitis in Dominica aliqua singulorum mensium.*

2 *Non diuersa referuntur in dicto libro priuilegiorum, Bulla. Nona Pauli V. Alea per quæ personarum, fol. 275. nu. 2.*

3 *Hoc Breue concessum fuit ad instantiam, & supplicationem Reuerendissimi Patris Magist. Fratris Theodori Stratij, cum Procuratoris Generalis in Curia Romana officio fungeretur. Signato anno 1614.*

9 Quibus omnibus Indulgentijs, & spiritualibus gratijs sigillatim descriptis Confraternitates ipsas nunc erectas, earumque Confratres potiri, & gaudere posse decernimus.

10 Quod si forte contigerit, quandoque nostram Religionem in dictis locis, vel in propinquis per tria milliaria habere Ecclesiam, vel Monasterium, ipso facto ex nunc pro tunc, absq; noua declaratione volumus, & declaramus debere cessare, & de facto cessare erectiones factas, & ipsas Confraternitates, cum omnibus earum bonis mobilibus, seu inmobilibus ad prædictos nostros Conuentus, Ecclesias, seu Monasteria, transferri debere, & translata ipso facto absque vlla contradictione censeri.

Volu-

11 Volumus etiam, vt Quæstuarij Ordinis nostri in locis, seu territorijs, in quibus prædictæ Societates erectæ, & institutæ fuerint, minime a suis solitis Quæstuationibus impediri possint.

12 Tenor autem Bullæ, seu Constitutionis Clementis VIII. fœl. record. circa huiusmodi Confraternitatum erectionem, hic est.

BVLLA CLEMENTIS VIII.

Præscriptio formæ, qua Ordines Regulares, & Confraternitates sæculares de cætero vti debent in erigendis, & aggregandis Congregationibus, & Confraternitatibus. Et communicatione suarum Indulgentiarum, & Indultorũ, eleemosinarũq; collectione, & Cõfessorum electione.

SVMMARIVM.

1 *Pontifices plurimi diuersis Regularibus Ordinibus, secularibus Congregationibus concesserunt priuilegium erigendi, vel aggregandi Congregationes, & Confraternitatos, cum facultate indulgentias, & indulta eis communicandi nulla prescripta forma, qua hæc fieri deberent, ideoq; prauæ inde cõsuetudines irrepserũt.*

2 *Hic ergo Pontifex decernit, quod Officiales Ordinum Regularium vnam tantummodo Congregationem singulis in locis instituere valeant, de consensu Ordinarij loci.*

3 *Secularium autem Archiconfraternitates, vel Congregationes itidem vnam Confraternitatem singulis in locis tantum valeant aggregare.*

4 *Communicareq; illis possint indulgentias, & gratias nominatim eis concessas, & non alias.*

5 *Statuta autem Ordinum, vel congregationum instituentium, vel aggregantium alias impartiri non possint, nisi ab Ordinario approbatę sint.*

6 *Formulamq; institutionibus, & aggregationibus, & indulgen-*

tiarum communicationibus fiendis ab hoc Pontifice facta seruari iubet.

7 *Religiones, & Societates aggregatæ dictis indulgentijs, & gratijs eis communicatis uti possint præuia Ordinarij recognitione.*

8 *Eleemosinas Officiales Ordinum, & Confraternitatum excipiant, iuxta modum ab Ordinario præscribendum, easque in pios vsus &c. exponant.*

9 *Confessores vigore priuilegiorum eligendi, si sæculares ab Ordinario, si vero Regulares sint, ab Ordinario, & eorum Superiore approbari debeant, & Confratres absoluant, quatenus, &c. & exceptis casibus hic expressis.*

10 *Institutiones, & aggregationes renouandæ sunt iuxta formam ab hoc Pontif. approbatam, & intra tempus hic expecificatum.*

11 *Et gratis expediendæ.*

12 *Officiales contrauenientes pœnam priuationis Officiorum incurrant, & eorum concessiones nullæ sint.*

13 *Decretum irritans, & clausula sublata.*

14 *Clausulæ derogatorie.*

15 *Forma publicandi hanc Constitutionem in Vrbe, & tempus quo ligare incipit.*

16 *Notificatio fienda per Ordinarios.*

17 *Fides transumptis adhibenda.*

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

QVæcumque a Sede Apostolica ad promouendam Christi fidelium salutem aliquando concessa sunt, & si ea maturo consilio magnaque prudentia, & cautione sancita, & decreta sint; tamẽ cum Romanus Pontifex de animarum salute solicitus progressu temporis animaduertit sensim aliquos abusus in eisdem statutis, & decretis obseruandis prouenire, debet pro sui Pastoralis officij munere illis opportuna ratione occurrere, & quantum cum Domino potest adhibito salutari remedio prouidere.

1 Cum itaque a pluribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris,

noſtris,& forſam etiam a nobis, nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus,& inſtitutis,ac etiam Chriſti fidelium ſæcularium Archiconfraternitatibus,& Congregationibus diuerſarum nationum, nominum,& inſtitutorum,tam in alma vrbe noſtra, quam in alijs Ciuitatibus, & locis Chriſtiani Orbis inſtitutis, facultas erigendi, & innſtituendi in eorum, & alijs Eccleſijs,& Collegijs,necnon etiã ſibi aggregandi Confraternitates, & Congregationes in eadem Vrbe,& in alijs locis exiſtentes,eiſque priuilegia,Indulgentias, facultates,aliaſque ſpirituales gratias,& indulta ſibi conceſſa reſpectiue cõmunicandi attributa fuerit,ac nulla certa forma,vel ratio præſcripta ſit, quæ in huinſmodi erectionibus,inſtitutionibus,aggregationib⁹, & communicationibus faciendis ſeruari debeat. Propterea ſiue negligentia Superiorum Ordinum,Religionum, & inſtitutorum, vel Officialium, Archiconfraternitatum, & Congregationum erigentium,inſtituentium,aggregantium,& communicantium, quæ Confraternitatibus,& Congregationibus inſtituendis, erigendis, & aggregandis; & quibus communicationes Priuilegiorum, Indulgentiarum,aliarumque gratiarum prædictarum fiunt,non ſeruant formã in huiuſmodi erectionibus,inſtitutionibus,aggregationibus, & cõmunicationibus ſernari debitam, neque præſcribunt modum, quo priuilegia, Indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta prædicta conſequi debeant, ſeu ipſarum Confraternitatum, & Congregationũ iuiuria,quæ non inquirunt ea,quæ præſtare oportet vt illa conſequantur,nonnullæ prauæ conſuetudines irrepſerunt, multaque incommoda inde prouenerunt.

